

FRANCISCI PATRICII
PAMPSYCHIAE
LIBER SECUNDUS
QUID SIT ANIMUS.

Inter veteres philosophantes, qui sensu et mente fuerunt obtusiore, Entium, unum tantum summum genus constituerunt. Corpus nimirum, et cuncta entia corpora esse sunt arbitrati. Qui vero animum, corpus non posse esse, rationibus perviderunt, supra corpus incorporeum aliud entium genus esse asserverunt. Ab his philosophorum plurimi, summa entium genera duo esse statuerunt. Incorporeum et corpus. Nos vero iam antea, inter hæc duo, veluti extrema, et sibi maxime contraria interferuimus. Alterum incorporeis vicinum incorporeum corporeum. Alterum corporibus proximum corporeum incorporeum. Ita ut entia universa, horum e quatuor sint aliquod necessario. Itaque animus, si ens sit, si e numero sit entium, horum aliquod necesse est esse. At horum quatuor, ex quo sit genere, videndum. Id autem cognoscetur, si eorum proprietates essentielles cognoscantur. Corporis igitur, quod sensibus est notius, proprietates indigemus. Est ergo in Panarchia iam ostensum, corpus non esse ἀὐθυτόστατον, per se subsistens: Sed ἐτερόστατον, consistens per aliud, et alio ad subsistentiam suam egens. Est quoque demonstratum, corpus esse ἐτεροκίνητον, alimobile, ita ut ad motum, actionemque suam edendam, non a se, sed ab alio, necesse est moveri. Movetur autem in tempore. Motus hic actio est. Actio venit a viribus, vires ab essentia. Ergo si corpus in tempore movetur, motus hic temporarius est, et est actio. Actio ergo corporis est temporaria. Ergo, et vires temporariæ, et essentia temporaria. Essentia autem, ideo est temporaria, quia est partibilis. Id autem quia divisibilis. Hoc autem quia trine est dimensum. Trine autem dimensum corpus est, et corpus est trine dimensum. Hoc autem quia moles est, et mole constat. Hoc itidem quia sine spacio esse nequit. Hoc item qui spacio constat. Id vero, quia e spacio sit. Hoc etiam quia spacium, corporum omnium primum est principium. Hinc ergo est, ut omne corpus spacio constet, et in spacio habitet, et mole constet, et moles sit, et trine sit dimensum. Et totum sit, et partes habeat, et in eas sit divisibile, et dividatur, tum essentia tum viribus, tum actionibus, seu potius passionibus. Passiones namque corporum sunt actiones. Nihil enim aliud agit corpus, quam patitur. Quia vero patitur, etiam alteratur. Si alteratur, etiam mutatur. Si mutatur ab eo quod prius erat, non est amplius quod erat. Si non est quod erat, ea parte, non entis suscipit appellationem. At est id in quod mutatur. Hac ergo est, illac non est. Et ens ergo est, et non ens est, et a se sit dissimile. Si igitur corpus, cum hisce omnibus proprietatibus in universitate reperitur, necesse est in eadem universitate, contrarium ens, cum contrariis omnibus proprietatibus reperiri. Contrario namque uno in rebus posito, poni necesse est et alterum. Ergo reperietur in universitate ens aliquod, quod sibi semper sit simile. Quod ens sit semper. Quod non ens, nunquam vel sit, vel fiat. Quod semper sit id quod erat. Quod semper sibi sit idem. Id autem quia non mutatur. Hoc, quod non alteratur. Hoc vero, quia non patitur. Hoc autem, quia tantum agit. Hoc item quia agendi solum vires habet. Hoc vero, quia talem habet essentiam. Hoc autem, quia non dividitur. Id vero quia partes nullas habet. Id quoque, quia trine non est dimensum. Hoc itidem, quia moles non est. Nec mole constat. Nec e mole sit. Nec mole indiget, ut sit, aut spacio in quo habitet. Hoc quoque, quia ἀὐθυτόστατον est, et per se substat. Hoc quoque, quoniam est incorporeum. Hoc quoque, quia corpori est contrarium. Colligamus igitur hæc, et in series digeramus. Incorporeum corpori est contrarium. Per se substat, in spacio non habitat. Mole non indiget. Moles non est. Non est trine dimensum. Nullas habet partes. Non dividitur. Individuam habet essentiam. Individuas vires. Individuas actiones. Non patitur. Non alteratur, non mutatur. Semper idem est sibi. In non ens non abit. Numquam, non ens dici potest. Verum ens est semper. Contrarias his proprietates corpus, omne habet. Non per se subsistit. In spacio habitat. Mole indiget. Moles est, Trine est